



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. XVIII. De Bello Fratrum contra Warmienses, Barthos & Natangos &
morte plurimum Fratrum & Christianorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

CAP. XVII.

De

Quodam Miraculo.

Multa bella gloriosè gesta sunt contra Pogefanos per fratres de Elbingo, quæ nullus posset ad plenum scribere vel dictare. Unum tamen ponam factum notabile. Quadam die fratres de Elbingo cum paucis armigeris, secuti fuerant magnum Exercitum Pruthenorum, qui prædam receperat in districtum ipsorum, & dum jam convenire debebant ad prælium, Prutheni effugerunt omnes, præter unum, quem captum abduxerunt, qui cum videret tam paucos debellatores in exercitu fratrum quasiivit, ubi plures essent? Responsum fuit ei, quod non fuissent plures, at ille: Certe nos vidimus totum campum plenum viris armatis in vestitu omnino similes fratribus & in armis, & propter hoc exercitus noster in fugam fuit conversus. Hoc idem Pogefani, qui in hoc exercitu fuerunt, post conversionem suam ad fidem Christi publicè sunt confessi. Pogefani ergò quantumcunque graves fuerunt fratribus in bello, videntes hoc miraculum, non valentes etiam impugnationem Fratrum continuam sustinere, datis obsidibus duram cervicem suam, & colla indomita fidei & fratribus submiserunt.

CAP. XVIII.

De

*Bello Fratrum contra Warmienses,
Barthos & Natangos & morte plurimum
Fratrum & Christianorum.*

Nul-

*Hermannus de Saltza II. Mag. Generalis. Ord. Teut.
Hermannus de Balke I. Mag. Prussia Provincialis.*

Nullus posset perfectè perorare, quot in commodis, quot periculis & quot angustiis se Magister & Fratres continuè exponerent, ut per eos fides Christi debitum posset sumere incrementum & Christianorum termini dilatari. Undè accidit, quod postquam DEO auctore, sine quo nihil boni agitur, Pomesani & Pogesani se fidei & Fratribus subdidissent, idem Magister & fratres contra Warmienses, Nattangos & Bartenses arma paraverunt. De Mandato ergò Magistri quidam fratres & armigeri cum navibus prædictis transiverunt mare recens, ad videndum ubi possent contra dictos Pruthenos castrum instaurare; qui cum venerunt ad littus terræ (a) Warmiensis, exierant, & circa illum locum ubi nunc situm est castrum Balga viderunt castrum quoddam Pruthenorum, quod tam propter paucitatem suorum impugnare non audebant, sed ut vacua manu non redirent, invaserunt villas circumjacentes vastantes incendio & rapinâ, quod videntes Prutheni irruerunt in eos, & omnes fratres & armigeres occiderunt præter eos, qui ad custodiam navium fuerunt depurati, qui videntes interitum suorum velociter recesserunt, Magistro quæ gesta fuerant, nunciantes.

ANIMADVERSIONES.

AD CAP. XVIII.

(a) Ex hoc loco cognoscimus, non eosdem hodiè fines esse terræ Warmiensis qui olim fuerunt, cum olim Balga pertinuerit ad Varmiam. Contra verò hodie quædam urbes ad Varmiam accesserunt, quæ olim ad alias terras pertinebant, ut Reselia sita olim erat in terra Bartensi, ut disertis Verbis habet Dusburgius noster *infra cap. XXVII*. Hodiè autem Varmia accensetur. Sic etiam ad Galindiam olim pertinebat Wartemberga atque loca quæ hodiè in Varmia sita sunt; *Vid. Henneberg. ad Tab. Geogr. pag. 127. & pag. 136*. Adde quæ *infra ad Cap. XXVII*. dicemus.

(b)

Hermannus de Saltza IV. Mag. Gen. Ord. Teutonici.
Hermannus de Balke I. Magister Prussiae Provincialis

(b) Balgam arcem jam temporibus Boleslai I. Regis Poloniae fuisse conditam, & à dicto Boleslao destructam, tradit Joannes Dlugossius l. 2. *Annal. Polon. ad an. 1015. pag. 153.* Sed intelligenda est alia arx eo in loco sita, ubi postea Balga ab Ord. Teutonici fratribus est condita. Balgam enim Chronicon cujusdam Anonymi à Germanis ita dictam esse vult, *dierteil es dassir manchen Balg gefostet.* Quidam existimant Balgam vetustioribus temporibus dictam fuisse Honnedam. Henneb. in *Comment. ad Tab. Geogr. Prussia. tit. Balga.* Sed Schuzius Honnedam ibi ponit, ubi nunc oppidum Holland *lib. 1. Chron. fol. 20. a.*

CAP. XIX.

De

Castro (a) Balga.

Anno 1239.

2. Sam. 11.

25.

Alditâ hac lugubri relatione Magister ultra id quod credi potest fuerat perturbatus, sed proposito sibi Exemplo David, qui principem militiæ suæ Joab nimis dolentem de morte suorum quasi increpans ait: Nonte moveat Res ista, varius est eventus belli, nunc istum, nunc illum occidit gladius. Conforta bellatores tuos, & exhortare eos, ut destruant Regni invasores. Tandem consolatus misit exercitum magnum, navigio ad vindicandam injuriam occisorum qui venientes ad littus Balgæ exierunt & positis sagittariis ad loca competentia, Scalisque applicatis ad moenia dictum castrum Pruthenorum viriliter sunt aggressi, & cooperante (b) ipsorum Codruno Capita-

An. Domini M. CCXXXIX.
corona spinea Domini per Ludovicum Regem Francie de Constantinopoli Parisios est translata.

Eodem anno gens Tartarorum Orientis plagæ Ungariam & Poloniam intraverunt ibique in bello Colmanum fratrem Regis Hungariae & Henricum Ducem Poloniae & reliquum vulgus quod invenire poterant occiderunt & terras illas redegerunt in solitudinem ita ut multi pulvere cujusdam montis profarina uterentur.

neo